

C. DESQUAMATIONIS.

Qua praesertim anni tempestate squamas omittant
succrescentibus novis? et an?

Quantum temporis intercedat a Desquamatione ad
successionem novarum squamarum? et an?

D. MIGRATIO.

I. LOCUS

a. a quo,

b. ad quem.

II. TEMPUS anni, vernum, aestivum, hybernum.

III. CAUSAE, cibi copia, generatio, temperies aquae.

IV. HYBERNATIO, torpor in locis profundis lacuum,
maris, fluviorum (Acipenseris,) in luto (Anguillae).

6. QUALITAS.

A. SAPOR, vix describendus in plerisque.

B. COLOR, vide Terminos Entomologicos.

C. MENSURAE, vide Terminos Botanicos.

7. U S U S.

A. NATURALIS.

Oeconomia Naturae, ejusque *Politia* in compescendis
Piscium speciebus, ut se semetipfos devorent.

Provida cura, in multiplicandis speciebus sapidis,
utilissimis: eorumque ovis disseminandis per
Anates imprimis.

B. ARTIFICIALIS.

I. CULINARIS, offerentibus piscibus victum sapidum,
facilem paratu, copiosum, non magni pretii, et te-
nuem, nec nimis nocuum.

II. DIAE-

II. DIAETETICUS, qui pisces in certis morbis aut praescribendi aut prohibendi, quaeque remedia ex piscibus petenda.

III. OECONOMICUS.

- a. *Reditus publici*, ex piscatura ut et *privati*, simul lucelli cupiditas reipublicae educat in piscatoribus optimos, peritissimos, numerosissimos Nautas.
- b. *Piscinae*, pro piscium generibus propagandis, educandis, pinguefaciendis.
- c. *Cutes*, Squalorum et Rajarum pro scriniariis et pro operiendis cistulis et arcis; *Acipenseris* Peritoneaeum pro Ichthyocolla; ejus Ova et Mugilis pro Garo. *Gadus Callarias*, *Morhua*, *Molva*, *Clupea Harengus*, *Pilcardus* et *Engrasicholus* pro Sallamentis; *Argentinae Sphyrænae* vesicula aërea et fursuraeae squamulae cutis pro margaritis artificialibus.

IV. METEOROLOGICUS.

- a. *Cobitis fossilis*, in phiala longa vitrea aqua plena, Barometrum.
 - b. *Scombri Thynni* et *Pelamydes*, cum vento natant occurrere *Exocoetis volitantibus*, qui contrario motu evolant ex aqua, ut hostes evadant.
- V. *Leges* piscatoriae, prohibentes piscari certos pisces, certis anni temporibus, et praescribentes magnitudinem piscium capiendorum et retium mensuram.

8. CHARACTERES

ORDINUM ET GENERUM.

A. CHONDROPTERYGII.

AMPHIBIA NANTES Linn. spirantes non Pulmonibus, sed veris Branchiis lateralibus per spiracula ad eaducentibus, ossa et pinnae cartilagineae.

I. SPI-